

nempe, quòd cùm ἀγέννητον sit γεννητῶ ἀνόμοιον: Pater autem sit ἀγέννητος, i. ingenitus: Filius verò γεννητός, i. genitus, Filium Patri dissimilem esse oporteat. Ad quod penè vnicum Aetii argumentum breui quidem, sed tamen verissima solutione respondet Basilius, ἀγέννητος ἐστὶ δὴλωσις τῆς ὑπόστασεως, οὐ τῆς οὐσίας, id est, Genitum & ingenitum non diuersam essentiam, sed diuersum tantùm existētiae modum significant. Rem verò exemplo doceo ex Augustino & Damasceno. Adā enim ἀγέννητος dici potest, quia primus homo est à nullo patre genitus: Seth autem γεννητός, quia est ex Adamo: non tamen est propterea diuersa Sethi & Adami natura & essentia. Imò vterque verus homo, eiusdemque naturæ, Genes. 5. v. 3. quanquam diuerso modo ea natura in Adamo extitit, diuerso verò in Setho, qui ab eo genitus fuit. Hoc Aëtii argumentum regerunt nobis millies Seruetani, Syluanistæ & Neariani nostri temporis. 3 Spiritum sanctum à Filio creatum fabricatūque esse contendunt Aëtiani. itaque negant esse αὐτοσύστατον, i. propriæ naturæ & essentiae vi esse & viuere, sed esse Filii, & vt ipse loquebatur, Μονογενοῦς δημιουργημα tantùm. Basil. libro 2. contra Eunomi. & lib. 3. Theodoret. & Epiphān. 4 Rebaptizant etiam ab orthodoxis baptizatos. Quod non fuit Aetii, sed Eunomii iam exulis commentum & dogma, quod Eunomiani postea secuti sunt atque retinuerunt. Sozomen. lib. 6. cap. 26. & Epiphān. 5 Baptismū à Domino nostro Iesu Christo institutum non tantùm corrumpūt, sed mutāt. Primū enim superiores tantùm hominis partes baptizandas putant, inferiores autem putant indignas tanto sacramento. Itaque baptizandos fasciis